

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Ioan. Michaelis Bruti in Ciceronis orationem pro P. Sextio animadversiones

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



# IOAN. MICHAELIS BRVTI IN CICERONIS

ORATIONEM PRO P. SEX-

TIO ANIMAD-  
ueriones.

13. 9. Grauissimis, & sanctissimis, Lambin. legit: nos nihil mutandum censimus. Videtur autem id eo sensu dictum, quo, Vir antiqui officij pro P. Q. in etio: Homo antiqua virtute, ac fide apud Terentium. Forte legendum, plenissimis antiquitatis, vt, plenissimis dignitatis, alibi aut, grauissimis, & antiquissimis, vt pro Rose. Amerino, Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, & quæ sequuntur. Sallustius quidem, antiquitatem, pro cura quadam maiore, studio, sedulitate, vel pro caritate potius, & pietate usurpauit. Tantum, inquit, antiquitatis, curæque maioribus pro Italica gente fuit. Quæ quamquam ita sint, neque hæc ipsa tamē lectio mihi magnopere probatur.

12. Benevolentia, Lamb. legi ait in manuscriptis exemplaribus.

14. 11. M. Menulanus, idem edidit.

17. C. Marcellum, hunc Muretus suspicatur M. Marcelli filium fuisse, cuius meminit Cicero in Catilinar. 1. ex Paullo Orosio, quilibr. 6. histor. Motus inquit, etiam in Pelignis ortus à Marcellis patre, & filio, per L. Vetrium proditus, &c. Nam, quod Cicero patrem, virum optimum

appel

## A N I M A D.

- appellat, id non solum Quintilianus auctoritate, sed ratione etiam ostenditur, & *provinces* esse elatum.
15. 2. Vocem officij, legi mauct Lamib. ut concinno oratio sit, cum duabus vocibus, prædicationem, & memoriam venuste tertioloco, hæc dictio, vocem, respondeat, & quæ mox sequitur, testimonium.
16. 2. Breue dictu, alijs legunt: nos à lectione vulgata non discedimus.
16. 2. Calles, Robertus Stephanus, & alijs ediderunt, æque bene.
16. Sed etiam memoria digna vti, &c. hæc vulgata lectio, quam haud dubie corruptam mirifice olim Hadrianus Turnebus emendauit: Sed etiam memoria dignam reipublicæ, & quæ sequuntur, quomodo & ipsi edidimus.
17. 13. Est arbitratus: In alijs, est, verbum non habetur. Desideragi certe id non potest, quin tota claudere oratio videatur.
16. Soluit subito legum consul. Ita in excusis aliis fere omnibus hæctenus editum est. Soluit subito legum cura consul alijs emendant. Hadrianus Turneb. præclare, atque eruditus, Soluit subito lege curiata consul. Evidem, quæ trita ratio dicens Latinis scriptoribus est, Soluit subito legibus consul suspicor legendum. Verborum enim contractione, eorum præsertim, quæ crebro repeterentur librarij in describendo passim vtebantur. Hinc cum leg. tribus modo litteris legeretur, imperite primo descripta vox, legum, & deinceps ab alijs æque excepta male, pertinaciter postremo in alijs vulgatis hæsit; quod alibi etiam adnotauimus.
18. 6. Atque compulsus, alijs, non male.
12. Ut illo supercilio annus ille, tamquam Atlante cælum, &c. ita Lamb. edidit.
20. 7. Adeunda pericula, idem legit.
21. 26. L. Ninnius, alijs lib. excussi habent.

Illius

## A N I M A D.

22. 18. Illius dies poenas, Lamb. prisco more, pro, Illius dici poenas.
27. Abesset milia passuum cc. alij.
25. 4. Contraque rem publ. agebat. Lamb. alij excusi habent, dixerant.
8. Fastis diebus, fere omnes Lutetiaz impressi.
20. Duo consules, Lamb. legi in manu script. libr. affirmat: ut etiam inf. pag. 27. lin. 29.
10. Provinciarum foedera retraxissent, Lamb.
28. 25. In que eo exercitu. Eique exercitu, Lamb. proclue erratum ex magna litterarum affinitate, ita perbellè sublatum videtur.
29. 19. Illis mortifera, qui eam imposuissent, Lamb.
31. 1. Canebantur, Lamb. Concinebantur, alij excusi habent.
32. 7. Non restituto, idem edidit, quo modo legendum ratio vincit.
24. Cum propter vim. alij, Cum vim prope, alij malunt ex re ipsa gesta, & Ciceronis sententia.
26. Minturnenium, in alijs editionibus legitur.
33. 19. Primum non est periculum, ne ciuitas vniquam incidat in eiusmodi consules. Ita Lamb. Secus alij, Primum non est periculum, ne quis vniquam in quā incidat in eiusmodi consules.
31. Breui temporis dolore interiesto. Authoc loco, breuis temporis legendum: aut dictio temporis, quod Lambi. facit, rollenda. Nam breui dolore temporis quid sibi hic velit non inteligo.
34. 24. Et suam prædam, Lambin. Et meam prædam, alij legunt. Forte, meorum prædam, ut mox, Et spirante etiam repub. ad eius spolia detrahenda aduolauerunt. Nam præda, & spolia æque & eius esse dicuntur, a quo perita sunt, & eius qui illa petiit.
35. 8. Dicam, hinc verbum sublatum Lambin. reponendum post vocem tacentibus censet, & Latinis sermonis consuetudinem, & Ciceronis sententiam,

## A N I M A D.

- tentiam securus. Lectio quidem vulgata non mala.
36. 31. Tigranes igitur, qui & ipse hostis, &c. Ita Lamb. Tulit gessit, in alijs vulgatis omnibus legitur. Forte ita, Tulit, morem gessit.
37. 15. Hærer in patria, alij.
24. Profici posse, alij.
31. Istis temeritatibus. Quid si, tempestatibus legas? Ita & sequenti pagella, Si alia quapiam vi expelleretur illis temporibus, &c. 38. Eadem tempestati, &c.
40. 15. Reliquis rebus. Vocem, rebus, tamquam aduentitiam suspicor tollendam. retineo tamen mea consuetudine, ne quid videar temere fecisse.
17. L. Ninnio, & hic alij legunt.
29. Meus Lamb. non habet.
41. 3. Priuatim, Manut. Quicunque in senatu priuati legem iij, &c. ita alij legendum videtur.
42. 4. Nondum re, sed spe repub. recuperata, Lamb.
13. Vepretuli, alij editiones habent, plures, ut nostri.
13. Et Galatis Gauijs in Calatinos Attilios. Ita Lamb. Vide, quæ ad hunc locum ab Hadriano Turnebō adnotantur in Aduersarijs. Mihi quidem, etiamsi doctissimi hominis coniecturam non improbo, locus minime carere mendo viderur.
30. Perturbatorumque temporum. Forte perturbatiorumque temporum.
44. 26. Tantum in comitio, alij.
44. 14. Et cum Turneb. & Lamb.
19. Effigi sanguinem. Vide Turneb. Aduersar.
28. Videl, sine aliqua concertatione animorum? Lam.
45. 19. Forum purges. Vide Turnebum.
46. 9. Non percussit locum. forte legendum, loco.
14. Respuisset, respirasset. Lamb.
16. Gens ista Clodia, Lamb. Clodianæ male, notanda est vox, gens. Forte manus ista Clod.

Adijt

## A N I M A D.

49. 12. Addit igitur T. Annius ad caussam reipub. sicut oportebat, qui ciuem patriæ recuperare veller. Lambinus. Nobis quidem videtur non male vulgata lectio retineri posse, si inter verbum, vellet, & vocem, reipub. puncto orationem distinguas.
50. 21. Esse iam e republic. credidit, quoniam &c. vide diligentius: forte ita, & eripi. reiecit: vt, &c.
51. 17. Numerius. Videnda quæ de pronomine Numerius tradit Festus in Numerio.
27. Audacibus. reponit Lam. indicibus quidem quid sibi hoc loco velit?
53. 27. Esto igitur, vt hi sint optimates, quam tu, &c. Lambinus.
54. 27. Quæ ego paullo ante fundamenta, ac membra otiosæ dignitatis esse dixi. duo verba otiosæ dignitatis L. addidit, quæ in alijs vulgatis non habentur.
56. 2. Stultitia sit, inquit.
7. Ad populi commodum. Lamb. Ac populi comm.
25. A dele&tis, videtur lectio manca esse. Ita audaces absolute, 55. quod notaimus.
59. II. Nihil sane Artæ iuuabant. Victorius, quo modo excudendum curauimus antea, Nihil sane a te iuuabatur, nullo certo sensu: quæ tamen Victor. emendatio, quamquam ingeniosa sit, non plane mihi, vt fatear quod sentio, probati potest.
23. Est ne illus, optima coniectura, est me vltus, duarum litterarum commutatione, Octavius Pantagathus, Manut. testante, emendauit. &, mox loco huius vocis reo, ore, inimicos meos, cum male, inimicus meus, legeretur. Nemo autem fere non nouit, spuriissimo, ac turpissimo genere libidinis contaminato ore, infamen Gellium poëtarum carmine in his Catulli, proscissum fuisse. Est tamen vir pereruditus, qui P. Victorium affirmet, xx. ab hinc an-

## A N I M A D.

- nos locum ita emendatum , cuius is auctor esset,  
sibi ostendisse.
61. 12. Coniectus . Lamb. quid ita?
62. 9. Auctori ipsi, Lamb. ex Memmij coniectura resti-  
tuit, eum, ore ipsi, in vulgatis legeretur.
17. Palmarum intentus.
12. Simulans, forte *egregius*.
23. Clarissima contentione. Lamb.
63. 9. Sed mihi sumphi.
18. Optimarum.
23. Quid enim, Qui remp. certo animo adiuuerit,  
Steterit cum Achius : Lamb.
67. 27. Si diebus quinque, Idem edidit. Certe aut ita le-  
gendum, aut si quis malit, Nisi, ante verbum esset,  
negandi nota delenda.
68. 7. Cum summa auctoritate P. Seruilij , tum incre-  
dibili grauirate dicendi. Ita ex Manutij emenda-  
tione excudi curauimus.
11. Reflexisset, Lamb. Nos deflexisset, quæ lectio in  
alijs omnibus excusis lib. habetur.
25. Qui reditus natalis? natalis idem.
27. Idem & salutis. non, vt antea, idem vt scitis, ex Ma-  
nut. edidimus.
69. 21. De me fici, Lamb.
31. Acta mea ait si bi displicere. Lamb. emendatio ex  
Memmij coniectura : quam lectionem sequi su-  
mus. Antea Acta mea illi displicere.
70. 25. Demiror, Lamb.

## I N O R A T I O N E M I N Vatinium.

75. 6. Et prætextam Lamb. alij, prætextatam. Ita & in  
Vatinium, Te ædilitiam prætextam togam, quam  
frustra confeceras, vendidisse.
77. 31. Accidat, Turnebus legi ait in manuscr. lib. quam  
lectionem Plauti auctoritate tuerur.
80. 10. Et, vt ne me, cum homine quamquam ita in vulg.  
omibus legeretur ; Lambino tamen fidem habui

mus.

A N I M A D.

mus : qui, ut excudi curauimus, sic in duobus co-  
dic. manuscr. Memmiano , & Ciceriano legi af-  
firmat.

86. 12. Præstinguebat, Lamb. Præstingebat, alij , certe  
Antuerpienses & in Plauti & in Nonij nouissima  
editione, emendati summa cura a viro doctissimo  
Hadriano Junio, Præstringere, ediderunt. Stingui,  
verbi antiqui originem, quo & alij sunt ex veteri-  
bus vsi. & Ciceron non semel, video Lamb. virum  
eruditissimum secutum. Vtrum sit scribendum,  
docti homines viderint, pluribus video, præstrin-  
gere probari.
25. Aggregasti, Lamb. æque bene. Nam plures erant  
qui dicerentur in Pöpeij necem conspirasse. paul-  
lo antea tamen verbo aggregare ysus erat.
87. 13. Tua promulgata, Lamb.
22. Condicionem, Idem habet, haud dubie optimo  
sensu.
89. 3. Cocos legit Hadrianus Turnebus, secutus au-  
toritatem librorum veterum , quo modo etiam  
Lamb. putat legendum.
11. Probare Turn. legit, cui, L. assentitur.
90. 6. Reum, pœnam, Rob. Steph. rerum pœnam Aldus.  
noster scelerum pœnam. quam lectionem cur  
reiceremus, nulla cauſa est visa. Videatur au-  
tem prior syllaba, sce, huius vocis, scelerum,  
esse sublata, quod postremam præcedentis ces,  
repeti perperam, imperitus librarius censeret.  
ita huius integræ vocis scelerum videntur in Ald.  
codice esse veltigia seruata ; qui rerum pœnam  
priore modo litera immutata habet.

I N O R A T I O N E M P R O  
M. Cælio,

95. 1. Non æque est cognitus. Hæc verba L. abesse ait  
in manuscr.
96. 7. Iaciatur, emendat M. Antonius Muretus, quam  
MM 2      lectio

A N I M A D.

- lectionem Lamb. probat.  
18. Talem te hi esse existiment. ita Lamb. legi ait in  
manuscr. libr.  
98. 8. Quidam stimuli. Aldus. Rob. Steph. alij.  
99. 31. Tamen est eiusmodi cupidus. Ex cod. Memmij  
Lamb. est eiusmodi cupiditatis, emendat. quam  
lectionem sumus secuti, ut omnium optimam.  
102. 6. Quæ facillime fingi. Ita alij legunt.  
15. Faterur. Est enim rex, qui dictus est. & adiutor,  
&c. ita legi ait Lamb. in Memm. codice, & alijs  
manuscriptis. optimus certe sensus elicetur, si  
ita legas.  
18. Qui negavit. Lam. ex Memmij libro & alijs, quem  
admodum legendum videtur.  
22. Non modo suspicione Lamb. codicis Memm. au-  
toritatem secutus.  
26. Cuiuscpiusmodi. Lamb.  
103. 23. Aut qui absunt.  
105. 28. Discidio legendum a discindo: ut in eadem ora-  
tione, 119. Extincta erat consuetudo, disci-  
dium ex literat. quae de re alibi etiam plura di-  
ximus.  
107. 21. Tu vero mulier. Lamb. quæ multo concinnior &  
huic loco aptior oratio est.  
108. 9. Quid a clamore. idem.  
16. Parasti. Lambinus.  
25. Vix ferendi. Diceret talis pater.  
30. Huic tristi & directo seni. legit Lam. ex libris ma-  
nuscriptis. Ita inferius: non semper supereret vera  
illa & directa ratio.  
109. 19. Ethanc tu viam nonnulli legunt, non male.  
110. 30. Atque familiam. Lamb. ex codice Memmij.  
111. 1. Ne quem vi terreat. Lamb. sic legi testatur in ma-  
nuscriptis tribus.  
17. Sumptus libidinis, eodem consensu omnium  
exemplarum veterum legendum docet. Lamb.  
23. Ac stuprorum, alij habent. Vulgatam lectionem  
tuentur, quæ infra dicuntur: In qua domo  
lustra, libidines, luxuries, omnia denique in-  
audita

A N I M A D.

audita vitia versentur, &c. Ita 2. Philipp. Vino,  
lustrisque confessus, & in epistola ad Cassium.  
Quæ autem in lustris & in vino commentatio po-  
tuit esse? Lustra autem hoc est, quæ in lustris, po-  
pinis, ganeis, lupanaribus exercentur.

112. 15. Obterendæ Lamb. fidem veterum exempli se-  
cutus.
17. Sermo etiam pñne familiarium, legit Lambinus  
fretus auctoritate veterum codicum. Apud No-  
nium, vox illa etiam, pñne, abest, in verbo,  
Locus.
113. 16. Sed etiam proterua meretrix videatur: ita ha-  
beri in peruetusto exemplari docet Lamb.
20. Iniurias tuas Clodia.
114. 11. Ex corruptio loco veteris exemplaris, insidiolan-  
dis, Lamb. coniicit, violandis debere legi. doctum  
tamen hominem ait putare legendum, aut per in-  
fidias, aut insidiose violandis, quæ minime est  
mala coniectura.
115. 15. Elaborata.
24. In alieno homine seuere acciperet, id omisisset  
curare in hospite, L. Evidem. hospitem, vna mo-  
do littera, m, adiecta lego, cetera, vt hactenus  
edita sunt in vulgaris.
26. Si comperisset, in quibñdam legi Lambin. te-  
statut.
116. 13. Dubia, tamen in content.
118. 9. Quonam modo ille furenti fratri suo patrueli co-  
fularis restitisset, qui consul incipientem furere.  
Locus har d dubie corruptus ita a Manutio resti-  
tutur, quem secuti sumus. aliam lectiōnē Lam.  
affert, Quonam modo ille furenti fratri suō pa-  
trueli restitisset, qui consule me, &c. lectio qui-  
dem vulgata ferri non potest.
14. Eliciat. Pro hoc verbo. Muret. ejciat, legendum  
censet, & rationem securus, & veterum exempla-  
rium fidem. vulg. leet. Lamb. retinet. Ejcete qui-  
dem voce pro emittere, aut mittere, nemo, quod  
sciām, ex veteribus est vñs.

## A N I M A D.

126. Sed enim Forte , Etenim legendum parua mutatione , quod malim. Nam & superior periodus , & quæ hanc ipsam mox sequitur ab eadem dictione incipiens , videtur errati occasio describenti fuisse.
127. Constitutum esse.
128. 10. Audita & peruvulgata , abesse ait Lamb: à libris manuscriptis.
129. 7. Afraniana,Lamb.vtlegendum videtur.

## I N O R A T I O N E M P R O A.Cornelio Balbo.

127. 27. Nihil de more maiorum Lambi. optima innixus conjectura, atque exemplaris vetusti fidem secutus,in quo veræ lectionis vestigia extant,nihil de memoria,nihil de maiore.
128. 18. Et auctorem,Lamb. ex manuscr. libris. quæ plane est lectio probanda.
129. 18. Periculi. ex Memm.libro:Lamb.
130. 2. Vocanda,ait in quibusdam legi Lamb.
130. 2. Coner sic agere,Rob Steph. Ald.alij.
131. 4. Plus homini,quam decet, noster habet. Aldus, plusquam decet. Quid si legas , ordine modo duorum verborum commutato , plusquam homini decet? videtur enim velle significare , vñ Pompeio maiorem homine virtutem esse tribuendam. Lambinus ita legit , ex ingenio , vt videtur , loco emendato. Vt omnium iudicio plus homini quam possit,minus quam debet,tribuere tur.neque enim vnde habeat,affert.
131. 8. Acerrima , ex ingenio emendat Lambi.nos quidem vulgatam lectionem,retinuimus. Videtur enim venuste Cicero acerbitatem , ad nimis illam exactam diligentiam transtulisse : quæ in Pompeij iudicio virilanti & Cornelij merito , in rem public. minime erat adhibenda. Erat enim tanta Pompeij auctoritas apud omnes , vt si qua in re etiam minus habuisse fœderum ac legum rationem

A N I M A D.

rationem videretur, id illi totum condonandum esset. Acerba porro ea diligentia, ex qua erat futurum, ut damnatus Cornelius fortunis omnibus euerteretur.

8. Pertendemus, alij vulgati omnes habent, perpendemus Lamb.

31. Non leuius sit, Lamb. ex cod. Mem. nos vulgaritatem lectionem retinuimus: cui ratio etiam suffragatur:

132. 2. Etenim utrum qui in Hispania. Idem.

17. Atque ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis vitio, quam unius Corn. crimine. Lamb. ait huius loci emendationem P. Danesio esse acceptam referendam. Utrum autem coniectura, ingenio, an scriprura vetere adiutus, ita locum emendarit, se ignorare.

134. 7. Sanctum, Lamb. quam lectionem ratio tuetur vulgaritatem quidem defendi potest, sed non ita ut placere a mendo abesse videatur.

11. Populus fundus qui esset, docet Festus, & qui cum accurate in primis emendauit, Antonius Augustinus in annotationib. præterea Carolus Sigonius, de Antiquo iure Italiae lib. 1. cap. 4. Est autem quid? quid sua auctoritate confirmat, & ut paucis rem complectat, facienda rei auctor. Plaut. Trinummo. Nunc mihi is propere conueniens est, ut quæcum eius filio egredi ei rei fundus pater sit potior eo. In eadem significatione usus est etiam Gellius lib. 16. cap. 13. Municipes ergo, inquit, sunt ciues Romani ex municipiis suo iure, & legibus suis videntes, muneri tantum cum populo Romano honorarij participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque villa populi Rom. lege astricti, cum nunquam populus Romanus eorum fundus factus esset. Idem lib. 19. cap. 8. multo apertius. Sed haec ego, inquit, dixi, non ut huius sententiae legisque fundus, subscriptorue fierem. Vide etiam quæ Hor-

A N I M A D.

- toman. in Lexico iuris, & obseruation. lib. 2.  
cap. 5.
135. 21. Auxilio, labore, commeatu, periculo suo iuuerit,  
Lamb. optimo sentu. Vulgata lectio plane abhor-  
ret a Ciceronis elegantia, & Latini sermonis co-  
suetudine. Quid est enim, iuuare aliquem auxilio  
laboris, aut commeatus.
136. 16. Offerret, quod magis placet. Lamb.  
17. Priuatim vero, sine quis vir. idem præclare.  
26. Nihilo enim, vt est legendum.
137. 2. Quam, male, hic in nonnullis vulgatis libr. legi-  
tur. Tu. cum, lege: quomodo iam prudem Manut.  
Clementia, & ratio vincit esse legendum.
139. 25. In ciuitatem, Lambi, quemadmodum videretur le-  
gendumi.
140. 21. Lumina Lamb., corrigit: nos vulgaram lectio-  
nem retinendam putauimus, etiam si fatemur,  
lumina, magis nobis probari: nostrum autem  
consilium cuiusmodi de hac re tota esset. in prin-  
cipio aperuimus.
141. 17. Conseruant Lamb., non, conseruent. qua di-  
cendi forma in fœderibus describendis uti-  
bantur, ita quidem se in vet. exempl. legisse te-  
statut.
142. 11. Huic generi Lamb. secutus ver. lib. auctor.
13. Itaque nihil esse sacrosanctum, per quod lege ex-  
cepsum videretur. Lamb.
143. 22. Inaudita particip. a verbo inaudire. Lamb. sic au-  
tem legi ait in vetustis exempl.
28. Huius, ex voce, ius, plane corrupta, Lamb. felici  
coniectura emendauit.
144. 18. Ut ex nobilissimo ciue sanctissimum hospitem,  
adductus vet. cod. auctoritate, Lamb.
145. 4. Quod assiduus vsus vni rei deditus: forte pro-  
deditus, quæ vox in omnibus vulgatis extat, de-  
diti. legendum. Nam dedere operam, studium. &  
alia quæ sunt huius generis, video quid sit: de-  
dere vsum, magis quid sibi velit intelligo, quam  
quomodo.

Quem

A N I M A D:

146. 4. Quem cum disertus homo L. Antistius accusaret, item Spoletinus, non dixit fundum populum Spoletinum non esse factum Lamb.
147. 14. Ouios legit Lamb. probata emendatione Bucanani. Erat autem Ouiorum familia inter Campanos clara, sed hic Campanorum nulla mentio, nisi quis dicere velit, Ouios in ciuitatem Mamertinorum adoptatos, vulgata quidem lectio non videtur a mendo abesse.
26. Itaque & ciues fortissimos vndeique locum haud dubie ante depravatum & feliciter, quod ipse agnoscit, & verò ingeniose etiam Lamb. restituit: cum enim in manuscripto exemplari scriptum inuenisset, cui vndeique, sibi vndeique, optima innixus conjectura emendauit: nullo enim discrimine vlos litera, y, pro b, veteres satis constat.
148. 3. M. Cassio, alij.
149. 2. Quo in genere iudicum præmia rata sint. Ita legit Lamb. recte, ut sit quod iudicia imperatorum ab aliorum iudicis distinguantur.
15. Precaretur air inueniri in manus. Lamb.
150. 15. Et adoptatio.

I N O R A T I O N E M D E  
Prouinciis Consularibus.

155. 28. Threciis, Lambinus ex auctoritate veruisti exemplaris.
156. 31. Sumptibus, bellisque maximis, Lamb. haberi in quibusdam manusc. testatur.
157. 31. Vrum deterior. Vrum tærior, videtur legendum parua huius vocis immutatione.
159. 14. Duplices pestes Lamb. freris auctoritate veterum codicum emendat.
23. Qua ex pœna.
160. 5. In exostra Lamb. secutus vet. librorum fidem: ea est scenæ pars, seu machina, qua quæ intus geruntur rotis circumactis, spectatoribus pa-

M M M 5 testi

A N I M A D.

- tesiunt. Vide Pollucem.  
28. Ambo, accusandi casu. Lamb. vt duo alibi, pto  
duos, ex vet. lib. edidit, quæ prisca ratio est.  
161.12. At Tib. Gracchus. Tota hæc periodus vsque ad  
initium alterius, Qui plenior, a Lamb. loco mota  
aliquanto inferius post integrum illam clausu-  
lam, cuius est initium, An non M. ille Lepidus,  
finis, hoc verbum, defenderent! collocatur. Id  
autem se fecisse ait, cum antiquorum libr. fidem,  
cum rationem securus. legit autem, An non Ti-  
berius Gracchus, &c.  
167. 10. Ex verbo contulit, quod se ait reperiisse in duo-  
bus veteribus exemplaribus, recte Lamb. con-  
tudit, emendauit: itaque esse plane legendum  
videtur. Compulit, vulgati habent, male senti-  
tentia Ciceronis explicanda accommodatum  
verbum.  
168.26. Cui non possit intercedi. locum corruptum qui-  
dam ita emendant, Et quæ pars prouincia sit  
cui non possit intercedi, hanc se &c. Lamb.  
169. 1. Atqui mihi nihil videtur magis.

IN ORATIONEM IN  
L. Pisonem.

173. 7. Res. Lamb. leges.  
174.22. In fraudem induxit totum hoc; in fraudem,  
Faerni emendatione probata, induximus. nam  
verbum inducere, vt nihil addatur, impellere in  
fraudem, fallere & decipere significat. Abesse au-  
tem a manu ser. Faer. testatur.  
175.17. Cum hoc non recusares, iis a quibus dicebare  
consul. Faer. legit.  
177. 16. Compitaliorum dies, Faer. cuius emendatio-  
nem Lambinus probat, ex veterum eodicum au-  
toritate.  
178. 7. Notionem censoriam, habet Faerni codex.  
Lamb. notionem legi maualit. rationem, quæ  
vox in vulgatis hæsit, abiiciendam quis non  
videt

## ANIMAD.

- videt? vocem, vñquam, quæ aberat à Faerni codice, in eo etiam Lamb. fecuti sustulimus.
1. Egere, foris esse Gabinium, asterisco locum corruptum Faern. notat Lambin. tuerit foris enim esse, latitare, abesse, & non esse soluendo, idem illi valere videtur. Forte illa legendum haud ita magna mutatione, egere, furere Gabin. quam lectionem illa mox tueratur: Huius te cupiditati obsequi, sicut, ego fecissem in collega meo. Videri autem volebat Piso male se de Gab. quod inficiari non posset non esse improbum ciuem sentire.
  13. Ne cōniuente quidem te. equidem, non conniuente. legendum suspicor.
  2. Coniunxisse, Faern. non coniunxeris.
  21. Senatum reip. occasum atque interitum lugere vetuisti: ita scriptum cum in nostro tum in aliis excusis erat. Nos ex Faern. senatum populi Roman. occasum, atque interitum reipub. lugere vetuisti.
  17. Barbaro Epicureo Faern. legit, & pro Laternario, paulo post, Lanternario barbato, alij, pro, barbatio ediderunt.
  13. Quo quidem \* istius locum, veluti deprauatum asterisco notandum Faern. existimat. Lamb. ita ait in libris veteris legi: Quod quidem istius in illis reipubl. luctibus symposium. Nobis visum est vulgatam lectionem retinere: ut cuius integrum sit, suum iudicium testatum relinquare.
  10. His tu Clodiane canis, !Lamb. ego à vulgata lectione non recedo. magis enim mihi hæc videntur in Sext. Clodium, quam in Pisonem conuenire. Cum autem alij post verbum, voluisti, punctum unicum adscribant, quæ nota absolutæ periodi est: nos quæ minima distinctionis nota est apposuimus.
  17. In templum, vt Lamb. edidit, legendum.
  26. Quo quidem in spectaculo mira reipub. æquitas erat

A N I M A D.

erat, &c. Hic visum est adscribere Faerni verba  
qui totum hunc locum mirifice emendat, atque  
explicat. Aequitas, inquit, hic accipi debet pri-  
securo, & tranquillo animi statu, qui non videtur  
reipub. posse conuenire, sed populo Romano.  
Quare aut scribendum putamus, mira popu-  
lum Rom. aequitas erat, aut certe R. P. ut significar  
possit vel Rom. populi, vel etiam reipublice,  
quis malit. Tuetur Faerni conjecturam, quo  
mox sequitur, uter eorum periisset, tanquam  
lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putaba  
immortalem vero quæstum si uterque cecidi-  
set. Quid autem minus conuenit quam lanista  
reip.

188. 2. An quod tibi proficiscenti in prouinciam, ne  
duo haec verba, in prouinciam, ex Faerni eme-  
dat. addidimus, quod & Lamb. fecit.
6. Quæuis fuga potius nos ut superuacaneam vocem  
potius, tollendam censuimus, ut recte Faernus,  
illum fecutus Lamb. censem.
13. Consentiente populo Ro. haec duo postrema ve-  
ba, ut redundantia Faerno assensi tollenda cura-  
mus. a manuscr. enim absunt.
18. Seruatorēmque Faernus. seruatorem Lamb.
189. 8. Satis iustam, curauimus excudendum ex Faer-  
num antea vox illa, satis, abesser.
9. Nequæ multitudinem hominum tantam, neque  
splendorem. Locum ita à Faerno restitutum e-  
cudi imperauimus, antea male legebatur. nullis  
mitiis vñquama multitudinem tantam, neque sp-  
lendorem, &c.
25. In imperio, in, delendum censuimus, Faerno  
sensi.
190. 4. Quam tantæ barbarorum gentes attingunt, Faer-  
nus ex vetusti cod. auctoritate legit: quem sum  
secuti. antea, quæ tantis barbarorum gentibus  
tingitur, legebatur.
16. Tabellas, Faernus, quo modo excudi iu-  
mus.

A N I M A D.

19. Et amicos, Lamb. assensi edidimus. An amicos vul  
gari alij habent, sed male.
24. In tua prouincia, Faernus.
5. Aliud nihil in eo exercitu. cum ita perperam ha-  
cenus legeretur, Faernus, nihil eo exercitu, emen-  
davit.
18. Ex infamia, quod in vulgatis perperam hæserat,  
Faern. adductus veruſt. cod. aucto ritate ex fame,  
restituit: quod & Lamb. agnoscit.
30. Impedita, & oppressa mens conscientia, bonorum  
omnium odium: duo verba, conscientia, &c, om-  
nium, sustulimus, quæ male irreperant in excus-  
fios. Faer.
31. Nota iusti senatus. hæc vulg. lectio. Faernus cum  
in manuscript. inuenisset, nota iusta, optima conie-  
cta, inusta emendauit.
120. Esse duos, non ecce, ut in vulgatis. Faern.
5. Quid est aliud furere, nisi non cognoscere ho-  
mines, non cognoscere leges, non senatum,  
non ciuitatem, cruentare corpus suum? maior,  
&c. Locum fœde depravatum mirifice Faern.  
restituit. nam vocem, ciuitatem, interpunctione,  
à sequenti verbo, cruentare distinguit. mox ita  
legit, cruentare corpus leue est. maior hæc est.  
&c.
15. Tusculani, non Tusculanum legendum Faern. do-  
ceret. Idem inter verbum extruendum, & illa, quæ  
mox sequuntur, cum illa eius immensa, &c. hæc  
tria verba restituit. cum iam egerer, quo modo &  
ipſi edidimus. Loco autem vocis, immensa, inter-  
missa, rectè reponit.
12. Pretio periculoque emerat Faern. vocem, pericu-  
loque, tanquam redundantem, sustulit.
10. Sed quoniam. nos ex Faerno. Et quoniam.
11. Festi atque solennes, sunt apud omnes. hæc duo  
postrema verba Faern. restituit: qui legi etiam ait,  
Apud homines, in vetustioribus libris: nos quidē,  
apud omnes, excudi imperauimus, meliore sensu,  
ut credimus.

Resp

A N I M A D.

197. 4. Responfione me mimica. Ita edidit Manutius. re  
ſponſione me inimica: alij. Faern. parua mutatio  
ne, vt ipſi edidimus, meliore ſenſu.
198. 27. Læui animi, ex leuis animi, Faern. emendat ex ve  
tusto codice. Evidem Lamb. affentior, quineu  
trum probans, vtrumque, vt redundas, tollendur  
censet.
199. 2. cœchetae, Litteris Latinis Græca vox scripta,  
erat in antiquo libro, & vnde ſumptus verſus e  
ex Plauto, Faern. affensi curauimus excudendu  
ſi, omnes excusi habent.
200. 8. L. Aelius. Lamb. L. Lamia legit: quomodo app  
latur in oratione pro P. Sexto, & in ea qua  
post. redditum in ſenatu habuit. Ego à vulga  
lectione non recedo. Nam Aelia gentis cogn  
men, Lamia fuit: vt recte & L. Lamia alibi,  
hic L. Aelius appellari potuerit. Anno quide  
ab urbe condita b c c l v. cum Seruilio Gem  
no, L. Lamia consulatum gerente, id quo  
præter lapides capitolini nummi argentei no  
nulli testantur. Fuerunt præterea & Aelij Cati,  
Paxi.
201. 9. Vinum à propala. Hunc locum Turnebus em  
dat, atque explicat aduers. lib. i. cap. i. Tuetur a  
rem hanc lectionem præter vet. codicem auſto  
ratem Varonis loco: apud quem integra ha  
vox manet. Denique, inquit, ipſe exruminant  
ad propalam vitam diu producunt: id est, ap  
propalam. Est autem propala, inquit, qui aut p  
lam, aut ante palum, aut de palo merces pende  
tes vendit.
202. 10. Bibiturus quæ eodem de ſolio minifretur. H  
leccio vulgata: quam quidem Faernus conie  
ra mirifica emendat. Bibitur, vſque eo, dum de  
lio minifretur.
203. 5. Epicurum diſertum decernere, & tamen dictu  
opinor. ita legitur in vulgatis. Lamb. verbum  
cernere retinendum, loco autem eius vocis,  
etum, dicere, legendum putat. nos ex Faerno, E

A N I M A D.

- curum disertum dicere, & tamen dicit, opinor.  
quæ tamen lectio subobscura haud carere mendo  
videtur.
204. 3. Non ignarum, Lambinus, guarum, Faern.vulgata  
quidem lectio quæ ignarum habet, est plane cor-  
rupta.
7. Nonnulla, male in plerisque vulgatis editum est:  
Non illa, alij legunt; Non illa, Faernus, quem se-  
sequimur.
21. Scutum aut gladium, Faern.
23. More poëtarum conlocutus, idem: ex quo, Lamb.  
more poëtarum, rum locutus.
27. Lingua P. Victorius, legit: ex Quinctiliano; quem  
sequitur Lambi, quæ paulo infra dicuntur, Indica  
sti non modo amplissimæ sed etiam minimæ laudi  
lauream concessisse, vulgatam lectionem tueri vi-  
dentur.
28. Niſi tu me expendisſes. Tu Faerno assensus, me,  
pronomen dele: & venuste enim desideratur, & in  
manuscrip. abest.
205. 13. Tu quid, tu apud quos. Ita Lambi. haud. dubie me  
liore sensu.
206. 16. Cuius ego ne beneficiis quidem, Ita Lambin, quo-  
modo ex re ipsa videtur legi.
210. 6. Cherronenses vulgati libri omnes habent. Alij  
Cherronesenses, ediderūt, niſi erratū hoc operarū  
ſit. Evidē, ſi modo vetus ſcriptura corrupta eſt,  
Cherroneſij ex Stephano de Vrb, legendum pu-  
tarem. Ita & à Peloponēſus, Peloponēſij, & à Pro-  
conēſus, Proconeſij, & à Myoneſus, Myoneſij ap-  
pellati. Vide Stephanum.
29. Vocem, turpiſſimus, Faerni codex nō habet: quam  
ita retinet Lambi. vt alio ordine verborum pe-  
riodo constituta, optime Cicer. ſententiam vnius  
vocis adiectione eliciat. Quid quæſtor adilitius  
reiectus? turpiſſimus homo præpoſitus, legato-  
rum tuorum optimus quifque violatus? turpiſſi-  
mus, Faernus negat vloſe vñquam in libro  
legiſſe.

Agriarum

## ANIMAD.

211. 31. Agriarum vnica litera g. & expuncta n. legendum: de qua gente Steph. Agriac à portu  
ib⁹ naevias, utræq⁹ animo nō poterit, &c.  
male hactenus in aliis impressis Aggrinarum lectum est.
212. 9. Expectaret Lamb.
213. 11. Copiicitur, quod in omnibus habetur vulgatis, nullo in libro manuscripto se vidisse Faernus testatur. Ex verbo corrupto, connitentur, quod in uno inuenit, connitetur, non mala coniectura ad ductus, emendauit.
13. Neminem inuitabis inuitus. Faernus, cui & Lamb. assentitur.
214. 26. Fecisse videri. Faerni emendatione approbata, curauimus excludendum, & quidem literis grandioribus. Sunt enim verba in iudicis usurgari solita, cum iudices prouantiant, quae de re sit reus accusatus, Fecisse videri. Totidem autem verbis, nulla litura interposita, præter eum quem Faernus appellat, se legisse Lambi. in cod. Memmianis ait.
215. 5. Neque et tabellis paucorum iudicium, sed et sententiis omnium ciuium famam nostram pendere. idem.
24. Adulantem omnes, edidimus ex Frontone grammatico vetere, qui hoc Ciceronis loco viri, probaturus verbum Adulor cum accusandi casu recte coniungi.

## IN ORATIONEM PRO T. Annio Milone.

216. 21. Non afferunt tamen oratori aliquid. Lamb. vt ipsi excludi iussimus legit, absque negatione: afferunt tamen oratori hororis aliquid, id à Mureto admonitus, qui ita se legisse in codice Vatic. affirmaret.
217. 29. Suppliciorum. Lamb. ex vet. exempl.
218. 20. Ab inimicis. ordo qui in vulgatis erat perturbatus

A N I M A D.

- batus, ex Lambin. emendatione à nobis est restitutus.
220. 7. Qui telo esset vñus, sui defendendi caussa telo vñus esset, non hominis occidendi caussa telum habuisse iudicaretur, Lamb.
228. 18. Libellarium legit Lamb. hanc lectionem duobus veruist. exemplaribus tuentibus.
229. 7. At nunc Lamb.
22. Ille sic oderat, ex veter. libris duobus Lambin. emendat.
28. Fuisse Lamb.
130. 19. Retrahi Lamb.
21. Quoties, quot occasiones, Ita alij legunt. Equidem pro, Quoties, quot ei occasiones, aut, sine pronomine, ei, quot occasiones legendum puto. Nam & vis huius aduerbij, quoties, facit ut sequens dictio, quot, superuacanea sit, & haec si adfit, quoties, non requirit. Sed hoc iudicio doctrinum hominum permitto, à vulgata lectione parum recedens.
131. 26. Quid comitiis in campo. Hunc locum totum Nicolaus Gruchius explicat libr. de comitiis pererudit.
134. 20. Quid afferebat festinatio? Aldus.
31. Locus tum neque muta solitudo. Lamb.
136. 31. Proiciebat, idem, vbi alij omnes, prouehebat, vulgata lectio haud videtur carere mendo.
138. 4. Proxime deos. Lamb. ex Prisciani auctor. & vet. cod. consensu. antea, proxime ad deos.
11. Heus tu, Ruscio, cauefis mentiare. Clodius insidiias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit: sperata libertas. ex magna varietate scriptorum codic. locum ita emendat Lambin. nos vulgariam lectionem non male retineri posse existimauimus.
141. 4. Saluis ut spero, Lamb. & rectius quidem.
144. 1. Arenam, ex veter. exempl. corrigit Lamb. male enim in vulgatis haeserat haec vox, arma: quid enim sibi vult hoc loco?

NNN Et

ANIMAD.

13. Et lumine, alij.  
14. Aequaliter, Lambin. reſte vt mihi videtur: hanc enim vocem, & qualiter, quod habent vulgari, non memini me in malam partem apud quemquam unquam usurpatam vidisse. Ita paullo infra. Tamen ita communis erat omnium ille hostis, vt in communi odio pene aequaliter versaretur odium meum.
19. Auferre, imperium si ille nactus esset. Ita orationem Lamb. distinguit, ante dictio nem, ille, id, pronomine sublatu.
21. Immitteret. Lambin. magis proprio verbo, atque apto huic loco.
22. A liberis dico? pecunias, emendat P. Victor. lib.
20. Var. leſt.
245. 1. Effectum est, tamquam redundantia verba, & quæ absint a manuscript. Lambin. inducenda censet.  
2. Effet verò timendum, Lambin. ex antiq. libris.  
3. Vocem, factum. Lamb. tollit, innixus vet. exempl. videtur enim redundare.  
7. Non quo, habet cod. Memm. vt ait Lamb.
246. 19. Et religione, & memoria, Lamb. omnino melius: vtrum vero ex ingenio, & certam rationem fecutus, an ex veter. exempl. non affert.
248. 5. Ea vis est igitur ipsa, Lamb.  
14. Vos enim iam, Lamb.
249. 5. Etiam, Lamb. tollit. Ea certe oratio redundantia. Videlur quidem per incuriam ex propinquo loco male repetita.
27. Dicebat. Forte, ducebat legendum, vt superiori verbo, arbitrabatur, respondeat, quamquam lectioem vulgaritatem non improbo:
250. 31. Cum fascibus, Lamb.
251. 4. Deditissimus, Lamb. vt cum superioribus congruat.
253. 16. Er opinor altera ultra quam. Ita idem excudi curavit ex manuser. exemplaribus.
254. 14. Videatis, idem. quæ tamen lectio haud plane mihi

### A N I M A D.

mihi probatur. desiderari enim videtur, quod verbo, augeatur, respondeat. Evidem ita legem libentius, Vosque obfecro, iudices, vt vestra beneficia, quæ in me contulisti, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occulta valere iubeatis. Hic autem si quis ita legat, erit sensus. Cum quæ vobis accepta beneficia refero, vitam, fortunas, patriam, honores, ornamenti maxima, atque amplissima, mihi in Milonis exitio amittenda sunt, quid aliud futurum est, quam vt vestra hac in me tanta merita æquo animo interire patiamini? Huic simile est illud in epist. ad Volumn. Qua si, vt volumus, excepterimus, ego vero multam salutem, & foro dicam, & curiae, viuamque tecum. Eadem autem vis est in verbo χάρισμα apud Græcos. Cicer. Ad Atticum de Pompeio fugiente Cæsarem. At ille πολλὰ χάρισμα τῷ οὐκτῶν dicens pergit Brundisium. Sic Terent. Valeant, qui inter nos discidium volunt.

15. Est quoddam incredibili robore animi septus. Sic legitur in aliis excusis: nos assensi victorio, vocem, septus, sustulimus.

### I N O R A T I O N E M P R O

C. Rabirio Postumo.

257. 2. Quod sermo hominum. Quibusdam videtur locus inancus esse: cum Lambin. explet partim mutando verba, partim addendo. Id siue ex ingenio, siue adiutus ope melioris exemplaris, haud dicit. Ita autem lexit: Quod sermone hominum ad memoriam prodendam patrum virtutis celebratur, cupidissime persequantur. Mihi lectio vulgata minime corrupta videretur. Ratio enim est, cur maiorum virtutem posteri cupidissime prosequantur, quod sermo hominum, fama, nomen patrum virtute, qui aliqua laude fuerunt, celebretur. Ea vero illecebra eit

**A N I M A D.**

ad posteriorum virtutem excitandam vel maxima cum illi intelligent, eorum quæ maiores gesserint cum laude præmium extare, famam, nomen, sermonem hominum, gloriam.

21. Re augere, Lamb. fecutus fidem vetusti exemplaris. antea vox, re, deerat.

